*potius inuentio, & obſeruantia iuris canonici, quàm ciuilis, eſt tamen in vſu etiam de [f] iure ciuili, vt atteſtatur Io. de Anan. in cap. excommunic. il primo. §. qui autem, nu. 1. de hæret. prout illũ refert Blan. in pract. crim. fol. 37. num. 72. Et reperio, quòd Bart. in l. 4. §. ſi magiſter, in fin. ff. ad legẽ Aquil. dicit hoc ſemel fuiſſe obſeruatum Peruſij in quodã magiſtro, qui percuſſerat ſuũ diſcipulum. Et illum refert Angelus de malefic. in verbo Adamauit, num. 2.*

6 *Hoc etiam ſeruatum fuiſſe Rothomagi in quodam iuuene, qui in die feſto Pentecoſtes quandam ancillam decrepitam interfecerat, recenſet Igneus in repetit. §. non aliàs, num. 91. & ſequent. ff. ad Syllan. Dicit etiam Pract. Iodoc. fol. 125. num. 6. quòd hac forma vtuntur frequenter curiæ ſpirituales, & earum imitatione etiam tribunalia ſecularia in Flandria, & alijs in locis. Sed certè in hoc Ducatu non ſeruatur hoc iuramentum purgationis, vt etiam atteſtatur Boſſ. in tit. de ſentent. nu. 75. in fin. ſed eius loco ſuccedit iuramẽtum de veritate dicenda, quod defertur reo in eius examine, iuxta ea, quæ dixi ſupra quæſt. 45. verſ. ſed quæro. Vbi igitur non adſunt [i] iudicie contra reum, quæ ſufficiant ad torturam, reus abſolui debet. Si verò extent contra eum indicia, quæ ex ſuis defenſionibus non ſint ſublata, vel eliſa, tunc non eſt locus iuramento, ſed deuenitur ad torturam. Et ita quotidie practicatur, vt dicit Blanc. in loco præalleg.*

7 *Sed quæro, pone, quòd [h] accuſator, ſeu querelans dicat (vt quandoque in facto vidi) Ego volo ſtare cũ reo in tortura, & eum conuincere, nunquid erit audiendus: Reſpondeo, quòd non, quicquid dixerit gl. in l. interdum, §. furem, in verb. damnato, ff. de furt. quam dicit eſſe cõmuniter reprobatam. Mantua centur. 1. num. 2. Hic enim modus probandi non eſt à iure approbatus: & ſi hoc admitteretur, quotidie multa ſequerentur abſurda. Idem etiam dicendum eßet, ſi reus proponeret, vt accuſator torqueretur, oſtendens ſe pariter velle ſuſtinere in tortura contrarium, quod in facto alias contigiſſe narrat Paris Put. de ſyndic. fol. 492. cap. 13.*

*Sed [k] quid ſi dicat accuſator, quod vult probare ſuam accuſationem in ſingulari certamine cum accuſato? Dixi in meo libello de Duello, qui nondum eſt impreſſus, in prima parte.*

*Tu ſcis, [l] quòd in cauſis ciuilibus duæ ſemiplenæ probatione: iunguntur ad faciendã plenam probationem, vt dixi infra libro proximo: Quæro nunquid idem ſit dicendum in cauſis [m] criminalibus. Reſpondeo, Aliqui tenuerunt, quod ſic: & ita ſe vidiſſe cõmuniter obtineri atteſtatur, Albericus in lege ſecunda, §. finali, numero ſecundo, ff. de excuſation. tutor. [n] Contrariam autem ſententiam, quod ſcilicet in cauſis criminalibus non [o] coniungantur duæ ſemiplenæ probationes, multi etiam tenuerunt. Et hanc dixit eſſe communem, Gratus conſilio quadrageſimoſeptimo, numero ſeptimo, libro quinto, quem refert Simancas de Hæretic. capitulo 50. numero ſecundo. Alij verò dixerunt, quòd ſi ſint [p] plura indicia, quorum quodlibet in ſua ſpecie perfectũ ſit ſufficiunt ad condemnationem; alias ſecus, & fuit doctrina Bald. in l. ſi quis ex argentarijs, §. primo, numero quarto, ff. de edendo, quam dicit ſequi communiter Doctores, Bertrandus conſilio 137. in fine, libro ſecundo, in ſecunda parte, & conſilio 164. in fine, libro ſeptimo. Tu dic, quod agitur de pœna corporali imponenda: & tunc, non debent coniungi ad condemnandum: Aut agitur de pœna pecuniaria imponenda: & poſſunt coniungi etiam ad condemnationem, prout etiam videmus, quòd in huiuſmodi cauſis, ſtanti ſemiplena probatione, poteſt etiam deferri iuramentum in ſupplementum probationis, vt dixi ſupr. verſic. ſcias etiam.*

*Benè verum eſt, quòd ſi cauſa eſſet decidenda per Principem, vel eius ſuprema conſilia, credo, quòd plura indicia iungi poſſent ad condemnationem etiam corporalem, ſaltem extraordinariam, quòd vidi ſæpiſſimè fieri per Senatum. Et reperio etiam idem aliquando ſeruatum fuiße per Conſilium Neapolitanum, vt refert Grammat. deciſio. 11.*

g *Ad torturam.*] Quid ſi tortus perſiſtit in tormẽtis, & in negatione, vide per Carrer. in pract. crim. ſub nu. 202. & quid ſi tortus non inuenit fideiuſſores, num. ſequẽ. Et quid ſi accuſator probauit delictum per indicia, & deinde tortus innocens eſt repertus, nu. 205. & de cautela per iudicem adhibenda, nu. 207. *Giach.*

h *Accuſator, ſeu querelans.*] Et an, & quando accuſator poſſit torqueri, vide remiſſiuè per Carrer. in pract. crim. pag. mihi 148. col. 1. ad fin. Item an inſtigator, vide remiſſiuè per eundem ante numer. 181. *Giach.*

5 *Accuſator, ſeu querelans.*] Adde videndũ Carrer in pract. crimin. folio 148. num. 181. an & quãdo accuſator, & inſtigator torqueri poſſint. *Baia.*

i *Ego volo ſtare cum Deo.*) Hoc dictum ſtat in ore plebis, & vulgarium; Nota ergo, & reijce ſic offerentes: Adde Marſil. Rubrica de fideiuſſ. num. 208. Iaſ. in §. actiones, numer. 98. inſtitu. de action. Dec. in l. nemo fraudare, num. 9. ff. de regul iur. ſupra quæſt. 18. verſ. Quando deinde. Nam ſimilis modus procedendi recedit ab aula, vt ibid. Drog.

7 l *Tu ſcis quod in cauſis ciuilibus.*) Adde, † ꝙ aliquãdo in criminalibus ad conſtituendam plenam & perfectam probationẽ, duæ ſemiplenæ poſſunt coniungi probationes, & quando ſit hoc iure permiſſum, relinquitur arbitrio iudicis, iuxta tradita per Ioan. Bapt. de Sancto Seuerin. in l. admonendi, num. 207. ff. de iureiuran. quem refert, & ſequitur Menoch. de arbitrar. caſu 462. ſed de iſta quæſtione, an duæ ſemiplenæ probationes cõiungantur in cauſis criminalibus, & quando agitur ad pœnam corporalem, ſiue pecuniariam, vide omninò eundẽ Menochium in commen. de præſumpt. lib. 1. quæſt. 41. & Gabr. commun. opinion. libro 1. titul. de probat. concluſ. 1. numer. 23. *Bauard.*

m *Criminalibus.*) Adde quòd in criminalibus vnus teſtis non iungitur cum fama, ſecundum Anton. de Butr. in c. veniens. 1. poſt gloſſ. ibi in verbo, illoru, & ibi Imol. et Dec. de teſtibus, Imol. in l. intereſſe, in fin. ff. de acquir. poſſeſſ. Cyn. in l. fin. C. de quæſt. verſiculo nunquid ergo fama. Baldus in l. ſi quis ex argentarijs. §. 1. ff. de eden & in cap. 1. verſicul. quæro ergo. de appellat. Salic. in l. ea quidẽ. C. de accuſat. quod ampliatur, etiamſi de crimine agatur ciuiliter, vt per Abbatem iu dicto capitulo veniens, in fine, de teſtibus. Contrarium tamen tenet Imol. in dicto capit. veniens. & ibi Ioann. de Anan. conſil. 49. vbi plures præſumptiones coniunguntur. *Guiot.*

n *Contrariam autem ſententiam.*) Marſil. in rubric. capit. de probationibus, num. 309. & ſequ. in fin. & Farin. 4. volum. ſuæ praxis, quæſt. 86. num. 3. & ſeq. & præcipuè num. vigeſimo, & octuageſimoſecundo, & num. 95. *Roſ.*

o D*uæ ſemiplenæ probationes.*) Hæc eſt notanda ſententia pro Aduocatis, vt ſciant reos defendere. Adde infra quæſtion. 64. verſ. ſed quæro ad fin. infra hac eadem quæſtio. verſ. fin. Drog.

p *Plura indicia.*) Sed quid ſi eſſet diuerſi generis? dic, quod coniunguntur, vt fiat indicium ad torturam, modo ſingula indicia eſſent perfectæ in genere ſuo, & ſingula ad plenum probarentur, ita per Crauettam in conſilio trecenteſimo ſexageſimo, columna finali, in princip. *Giach.*

*Sena-*

*Senatus*



CONSULTA USO EXCLUSI EN LA SAL

q *Senatus enim indicat.*] Adde ſupr. q. 58. verſ. vidi aliquãdo, q. 44. verſ. dixi quod de iure communi, q. 58. verſ. ſed quid ſi nullus q. 78. verſ. quæro ſi bona, vbi habetur de ſententijs dicti Senatus. *Drogh.*

r *Nihilominus.*] Fama cũ vno teſte. De hoc vide per Ang. de Aret. in §. Item tria onera, inſtitu. de excuſat. tut. & curat. *Giach.*

*Nihilominus.*] Farin. q. 47. vol. 1. nu. 80. *Roſſ.*

ſ *Et generaliter quod fama.*] Duæ ergo ſemiplenæ probationes non coniunguntur ad condemnationem, ſupra hac eadem quæſtione, verſ. tu ſcis, & quæſt. 62. circa principiũ, ſic & teſtes de auditu nõ faciunt indicium, & ſunt ſingulares, & coniunguntur, vt dixi ſupra quæſtione vigeſimaprima, verſiculo confeſſio extraiudicialis, & alibi ſæpè. *Drogh.*

8 *Et generaliter quod fama.*] Adde, quod † vbi vertitur difficultas probationis, fama ſola iunctis aliquibus adminiculis, inducit plenam probationem, quæ ſufficit ad condemnandum, capit. præterea, & ibi not. de teſtibus; ita in terminis Anton. de Butr. in cap. veniens, il primo, de teſtib. Innoc. in cap. veniens, de verborum ſignific. Alex. conſilio 24. volum. ſecundo. Grammat. in deciſ. 41. numero 12. imò in his,
9 quæ ſunt difficillimè probationes, fama videtur per ſe probare, ſecundũ Socinum iuniorem in cõſilio nonageſimo, numero 16.

*Senatus [q] enim iudicat ſecundum conſcientiã, prout etiam faciunt domini conſiliarij ſedentes in prædicto ſacro conſ. teſte Gram. deciſ. 29. num. 13.*

20 *Hinc infertur, quòd licet in criminalibus fama (ſecundum aliquos) probet ſemiplenè, vt dixi ſupra quæſt. 21. verſ. fama ſola; & vnus teſtis de viſu pariter etiam probet ſemiplenè, vt dixi ſupra eadẽ quæſt. 21. verſic. vnus teſtis: nihilominus [r] fama cum vno teſte non probat plenè in criminalibus, niſi ſint aliæ coniecturæ, vel adminicula. Et eſt communis opinio, vt dicit Crott. in tract. de teſtibus, nu. 102. Et [ſ] generaliter, quòd fama etiamſi iuncta ſit tum alia ſemiplena probatione; non ſufficiat in criminalibus ad plenam probationem, tenuit gloſſ. in cap. veniẽt, il primo, in verbo, Illorum, de teſtibus, quam ſequuntur ſcribentes, vt dicit Marſil. in l. de minore, §. plurimum, num. 55. ff. de quæſt. Et illam gloſſ. dicit eſſe cõmuniter approbatam, Dec. conſ. 210. circa fin.*

## QVÆST. LXIV.

## Tractatur materia torturæ, quando, & contra quos inferri, ac repeti poſsit.

*SVMMARIA.*

Ex Claro.

1 *Tractatur materia torturæ.*
2 *Iudex ponens aliquem indebitè ad torturam eſt capite puniẽdus.*
3 *Priuſquam deueniatur ad torturam, debet cõſtare de delicto.*
4 *Tortura non eſt inferenda, vbi pro delicto non imponitur pœna corporalis.*
5 *Vbi delictum aliter, quam per torturam probari poteſt, non eſt reus tormentis ſubijciendus.*
6 *In delictis occultis facilius deueniri ſolet ad torturam.*
7 *Et an adbiberi debeat tortura reo de crimine conuicto, vt illud etiam confiteatur.*
8 *Et an ſuper ſocijs, & complicibus.*
9 *Tortura inferri non debet, niſi præcedentibus indicijs.*
*Et quid in atrocibus, ibid.*
10 *Et quid ſi reus ſit malæ vocis, & ſolitus delinquere.*
11 *Et quid ſi ſit bannitus, & condemnatus in contumaciam.*
12 *Indicia, quæ præcedunt torturam, debent eſſe legitimè probata.*
13 *Debent etiam eſſe ad torturam ſufficientia.*
*Et quæ indicia dicantur ad torturam ſufficientia. ibid.*
14 *Et quos indicia requirantur ad hoc, vt quis poſſit ſubijci torturæ.*
15 *Quæ perſonæ de iure torqueri poſſint.*
*Et an liber homo, ibid.*
16 *Doctores an poſſint torqueri.*
17 *Perſonæ poſitæ in dignitate, an poſſint torqueri.*
18 *Milites an poſſint torqueri.*
19 *Nobiles an poſſint torqueri.*
20 *Decuriones an poſſint torqueri.*
21 *Minoris 14. annis an poſſint torqueri.*
22 *Senes an poſſint torqueri.*
23 *Mulier prægnans an poſſit torqueri.*
24 *Clerici an poſſint torqueri.*
*Et an ſacerdotes, ibidem.*
25 *Laicus an poſſit torqueri clericum de mandato epiſcopi.*
26 *Iudex an teneatur requirere accuſatorem prius quam torturam inferat reo.*
27 *Decreta tortura, ſi reus appellet, an ſit ſuperſedendum.*
28 *Et quid ſi petat ſibi dari copiam indiciorum.*
29 *Si plures ſint torquendi, a quo ſit incipiendum.*
30 *Torquendo non eſt dandum aliquid, quod comedat, aut bibat per decem horas antequam torqueatur.*
31 *Torturæ gradus qui ſint.*
*Metus, & ſuſpicio torquendi æquiparatur torturæ.*
32 *Carcer an dicatur ſpecies torturæ.*
33 *Tortura adhibenda eſt pro modo indiciorum.*
34 *Tortura an poſſit inferri die feriato.*
35 *Aduocati, ſeu procuratores reorum, an poſſint intereſſe eorum torturæ.*
36 *Torquere nõ debet reus modis exquiſitis, & non conſuetis.*
37 *Iudex excedens in tortura modum conſuetum, tenetur in ſyndicatu.*
38 *Reus negans, & in tortura perſeuerans, dicitur purgaſſe indicia contra eum exiſtentia.*
39 *Cautela, vt iudex, qui aliquem indebitè torquet, non teneator in ſyndicatu.*
40 *Confeſſio facta in tormentis non ſufficit ad condemnandum, niſi reus extra tormenta illam ratificet.*
41 *Et quando fieri debeat huiuſmodi ratificatio.*
42 *Et in quo loco fieri debeat.*
*Et an ſint adhibendi teſtes.*
43 *Et quid ſi non ratificet confeſſionem in tormentis factam, ſed illam reuocet.*
44 *Et an vbi reus illam ratificet, ei ſtatui debeat terminus defenſionis.*
45 *Reus an poſſit interrogari de alijs criminibus, de quibus contra eum non adſunt indicia.*
46 *Tortura ſemel illata, an repeti poſſit.*

Ex Additionibus.

1 *Tortura an irrogetur in cauſa appellationis, remiſſiuè.*
2 *Iudex torquens ſine indicijs, quomodo puniatur.*
3 *Tortura indebitè illata, an proceſſus factus poſteà valeat.*
4 *Tortura illata ab vno Iudice, qui cauſam remiſit, an computetur.*
5 *Torturam quomodo poſſit inferri, priuſquã cõſtet de delicto.*
6 *Tortura, an poſſit inferri, vbi eſt pœna pacuniaria tantum.*
7 *Tortura in quibus caſibus ſit inferenda, remiſſiuè.*
8 *Tortura an ſit inferenda in cauſa ciuili.*
9 *Depoſitum negans torqueri poteſt.*
10 *Cedens bonis, ſi eſt ſuſpectus de occupatione bonorum, poterit torqueri.*
11 *Tortura in Regno Neap. niſi in pœnis vltra relegationem.*
12 *Torqueri an poſſit teſtis varius in cauſa ciuili, remiſſiuè.*
13 *Tortura an habeat locum, quãdo agitur de crimine ciuiliter.*
14 *Tortura an poſſit inferri pro intereſſe partis, ſi quis gratiatus fuerit ſaluo intereſſe partis ciuiliter.*
15 *Et quid in cauſis minimis, & damnorum datorum.*
16 *Et quid ſi ſit probandum delictum.*
17 *Probatio difficilis quomodo dicatur, remiſſ.*

*Tortu-*

18 *Tortura facilè adhibetur in delictis nocturnis.*
19 *Et in dictis delictis ſufficiunt coniecturæ.*
20 *Familia poteſt torqueri, cum agitur de inſidijs mariti contra vxorem, vel è contra.*
21 *Tortura an poſſit inferri, quando quis eſt gratiatus ſaluo intereſſe partis ciuilis.*
22 *Conuictus an ſit torquendus.*
23 *Interrogatio de ſocijs quomodo ſit facienda.*
24 *Conuictus an poſſit puniri pœna ordinaria, ſi fuerit tortus ſine præiudicio conuicti, & confeſſi criminis, & ſemper perſtiterit in negatiua.*
25 *Proteſtatio iſta quid operetur.*
26 *Et quomodo hoc caſu debeant fieri interrogationes.*
27 *Tortura quando adhibeatur abſque indicijs, remiſſiuè.*
28 *Arbitrium conceſſum Iudici circa torturam quomodo intelligatur, remiſſ.*
29 *Iudex an debeat obedire Principi mandanti aliquem torqueri abſque indicijs.*
30 *Tortura illata abſque indicijs, an conualidetur illis ſuperuenientibus.*
31 *Solitus delinquere an ex hoc poſſit torqueri.*
*31 *Torqueri an poſſit homo bonæ famæ.*
32 *Bannum ſolum, an, & quando ſufficiat ad torturam.*
33 *Et quid in Regno Neap.*
34 *Bannitus in ſtatu eccleſiaſtico ſi comparuerit infra annum, an poſſit torqueri.*
35 *Farinac. impugnatur.*
36 *Contumacia purgata an faciat indicium ad torturam.*
37 *Et quomodo purgetur.*
38 *Et quid in Regno Neap.*
39 *Proceſſus abſque indicijs valet, ſi non opponatur.*
39 *Verba Principis de ſcientia alicuius criminis an fidem faciant.*
40 *Bannitus, non tamen condemnatus, comparens poſt terminũ ſibi aſſignatum an torqueatur.*
41 *Boſſ. error.*
42 *Bannum quomodo intelligatur.*
43 *Inobedientia omnis eſt mulctabilis.*
44 *Bannitus ab vno Iudice, an poſſit per alium torqueri.*
45 *Bãnitus ad pœnam poteſt torqueri, etiam ſi ſtatutum permitteret bannito purgationem contumaciæ.*
46 *Clar. declaratur.*
47 *Bannitus admiſſus ad nouas defenſiones an poſſit per ſolam condemnationem torqueri, ſi deperditæ ſint informationes.*
48 *Inſtrumentum deperditum quomodo reſici poſſit.*
49 *Et quomodo probetur amiſſio.*
50 *Poſitus in banno in ſtatu eccleſiaſtico, ſi comparet poſt terminum banni, & ante ſententiam, audire debet, ſin minus habetur pro confeſſo, & poteſt condemnari abſque alia citatione.*
51 *Bannitus admiſſus ad nouas defenſiones, ſi docuerit de innocentia, an poſſit torqueri.*
52 *quid ſi a Principe fuerit expreſſim remiſſa contumacia.*
53 *Et quid ſi probetur illum fuiſſe abſentem tempore delicti.*
54 *Tortura quando valet ſine indicijs.*
55 *Tortura quare inuenta.*
*Iudex in delictis occultis poteſt procedere ad torturam propter dictum vnius teſtis non omni exceptione maioris.*
56 *Indicia ſufficientia quando dicantur, & quando dicantur purgata.*
57 *Et an declarante quæ indicia requirantur, ceſſat arbi. Iudicis.*
58 *Indicium quando dicatur proximum, & quando remotum.*
59 *Teſtis vnus non omni exceptione maior quando faciat indicium.*
60 *Indicia duo etiam leuia ſufficiunt ad torturam.*
61 *Tortura quando irrogetur perſonis exceptuatis.*
62 *Doctores quando poſſint torqueri, & carcerari.*
63 *Priuilegium amittitur per reatum.*
64 *Tortura leuior eſt inferenda nobilibus.*
65 *Doctores non torquentur, ſi examinati vti teſtes vacillarẽt.*
65 *Doctores, vt torqueri poſſint, degradari debent.*
66 *Decuriones hodie qui dicantur.*
*Decuriones delinquentes in officio poſſunt torqueri.*
67 *Minores in quibus caſibus torqueantur.*
68 *Infans an poſſit ferula cedi.*
69 *Senex an poſſit torqueri.*
*Decrepiti qui dicantur, & qui, & quomodo torqueri poſſint.*
70 *Senectus, & decrepitas quomodo probetur.*
71 *Et quid ſi ſenex tortus confiteatur.*
72 *Et quid ſi fuerit ad torturam indiciatus.*
73 *Febricitans an torqueatur.*
74 *An ſurdus.*
*An mutus num. eod.*
75 *Mulier prægnans an poſſit examinari, & quomodo.*
76 *An torqueri.*
*Et quid ſi ſit prægnans ex adulterio, ibidem.*
*Et quid ſi doloſe in carcere concepiſſet, ibidem.*
77 *Et quid ſi torqueatur, & fuerit confeſſa.*
78 *Et quomodo cognoſcendum an ſit prægnans.*
79 *Et quid ſi fuerit torta, & fecerit abortum medico dicente, ſe credere, non eſſe prægnantem, an teneatur Iudex.*
80 *Mulier non prægnans poteſt torqueri.*
81 *Et an poſſit blanditijs ad confitendum induci.*
82 *Auctoris opinio.*
83 *Mulier prægnans non fuſtigatur.*
*83 *Qui non poſſunt torqueri, poſſunt tamen terreri.*
84 *Appellatio à tortura an liget manus Iudicis.*
85 *Et quid practicetur in ſtatu eccleſiaſtico.*
*Et quid in Regno Neap. ibidem.*
86 *Appellatio an admittitur à decreto de non torquendo.*
87 *Iudex in cauſis arduis poteſt procedere ex proceſſu informatiuo ad torturam.*
88 *Magna Curia Vicariæ poteſt procedere ex proceſſu informatiuo ad torturam, & quomodo.*
89 *Non tamen contra Neapolitanos niſi de licentia Proregis.*
90 *Et quid de Gubernatoribus Romæ.*
91 *Tortura eſt inchoanda à filio in præſentia patris, ſi de eodem crimine ambo ſint inquiſiti.*
92 *Confeſſio patris ob torturam filij, vel è contra non valet ſine ratificatione.*
93 *Tortura eſt incipienda ab eo, qui habet malum nomen, ſiue malam phiſonomiam.*
94 *Tortura a quo ſit incipienda, iudicis arbitrio remittitur.*
95 *Torturæ gradus, remiſſiuè.*
95 *Iudex in arbitrarijs quæ attendere debeat.*
96 *Confeſſio quando dicatur extorta metu tormentorum.*
96 *Reſcriptum ſenatus de aliquo torquendo quomodo intelligatur.*
97 *Confeſſio carcerati quando dicatur facta metu, & non valeat.*
98 *Tortura quando ſit adhibenda cum ictibus chordæ.*
99 *Tortura an vltra tres vices ſit repetenda.*
100 *Tortus ſuper vno indicio ſuper omnibus cenſetur tortus.*
101 *Aduocatus, & Procurator fiſci an debeant intereſſe torturæ.*
102 *Tortura adhibenda teſtibus non requirit cauſa diſcuſſionem cum Aduocatis.*
103 *Aduocati an ſint citandi ad hanc cauſam.*
104 *Quomodo ſeruetur in Regno Neap.*
105 *Et quomodo in ſtatu eccleſiaſtico.*
106 *Tormentum cauallcetti an ſit nouum.*
107 *Et quid de tormento ignis.*
108 *Tortura an præſumatur immoderata.*
109 *Tortus ſi ceciderit, quia male ligatus, an teneatur iudex.*
110 *Tortus indebite, ſi Iudicem occiderit, non punitur morte.*
111 *Iudex excedens modum in puniendo quomodo puniatur.*
112 *Et quomodo probetur exceſſus, remiſſiuè.*
113 *Tortura quomodo probetur.*
114 *Torquens indebite in Regno Neap. quomodo puniatur.*
115 *Indicia quaneo cenſeantur purgata.*
116 *Conuictus, qui ſemper negauit in tortura, ordinaria pœna puniri poteſt.*
117 *D. Clari lapſus.*
118 *Probationes legitimę non eneruantur per negationem rei factam in tortura, licet Iudex non proteſtetur ſe citra præiudicium probatorum torquere.*





*Tortura eſt fragilis, & de facili non eſt ei credendum, ibidem.*
119 *Maleſicium taciturnitatis, vel inſenſibilitatis, quod dicatur.*
120 *Teſtibus, an confeſſioni ſit magis ſtandum.*
121 *Gram. deciſ. declarata.*
122 *Tortus ſuper indicijs indubitatis cũ proteſtatione citra præiudicium probatorum, &c. etiam quod ſuper principali interrogetur, poterit ad triremes condemnari.*
123 *Imò etiam ad pœnam ordinariam, ſi adſit frequentatio.*
124 *Et quid ſi ſortilegijs vtatur.*
125 *Confiſcatio bonorum non dicitur pęna extraordinaria.*
126 *Tortus, qui negauit, an debeat ſtatim abſolui.*
127 *Et quid ſeruent officiales in ſtatu Eccleſiaſtico.*
128 *Et quid in Regno Neap.*
*128 *Confeſſio facta ſine tormentis quando validior ſit, quàm facta cum tormentis.*
129 *Confeſſio facta non in tortura, ſed tantum tormentis præparatis, non valet ſine ratificatione.*
130 *Et quid in homine robuſto, & ſagaci.*
*Foller. lapſus ibidem.*
131 *Ratificatio quomodo ſit facienda, remiſſ.*
132 *Confeſſus bis crimen vario modo, & poſtmodum generaliter confeſſionem ratificans, non poteſt puniri, ſed debet magis ſpecifice interrogari.*
133 *Confeſſio latronum ſufficit ſine ratificatione, & robuſti leuiter torti.*
134 *Confeſſus, & ratificans an debeat puniri, ſi poſt ſententiam de innocentia conſtet.*
135 *Ratificatio an requiratur, ſi confeſſio extraiudicialis præceſſerit.*
136 *Gloſ. fin. in l. capite ff. de adul. reprobatur.*
137 *Confeſſio iuncta cum alijs indicijs valet ſine ratificatione.*
*Et an, & quando poſſit reuocari, ibidem.*
*Et quid ſi præceſſerit confeſſio extraiudicialis, ibid.*
*Confeſſio extraiudicialis, & confeſſio facta in tortura an iungantur, ibidem.*
138 *Confeſſio in dubio, an præſumatur ſpontanea, vel coacta.*
139 *Ratificatio non requiritur in capto in flagranti.*
140 *Confeſſus, & ratificans non admittitur amplius ad reuocandum.*
141 *Tertius tortus an debeat ratificare, remiſſ.*
142 *Confeſſio facta in tormentis, vt probet quæ requirantur.*
143 *Ratificatio facta in loco torturæ an valeat.*
144 *Confeſſio voluntaria, & confeſſio ſpontanea quomodo differant, remiſſ.*
145 *Ratificatio an ſit facienda coram teſtibus.*
146 *Et quid in Regno Neap.*
*Reus in Regno ſubſcribit ſuam depoſitionem, ibid.*
*Et quid ſi literas neſciat, ibid.*
*Et quid in ſtatu eccleſiaſtico, ibid. & infra n. 149.*
147 *Confeſſus delictum, de quo inquirebatur, an poſſit ſuper alijs interrogari, nullis extantibus indicijs.*
148 *Et quid in Clerico.*
150 *Condemnatus poteſt contra alios torqueri.*
151 *Condemnatus inculpatum exculpans poteſt iterum torqueri*
152 *Tortura quando poſſit repeti, remiſſ.*
153 *Et quid ſi procedatur ex proceſſu informatiuo.*

ADDITIONES
Ad Quæſt. LXIV.

a CEterum *vbi delictum.*) Adde, quod materia præſentis quæſtionis multum confert cum materia quæſtio. 21. Farinac. volum. 2. ſuarum quæſt. crim. quæſtion. 37. vſque 43. & quæſtio. 52. vbi plurima indicia recenſet. *Roſ.*

*Ceterum vbi delictũ.*)
1 Adde, † an in cauſa appellationis tortura poſſit irrogari, videndum Ioãnem de Anan. conſil. 1. in fin. *Baiard.*

b *Ad torturam.*) Hic ſcias, quod tortura chordæ ſubtilis infert magis dolorem, quàm tortura chordæ groſſæ, vt dicit Salicet. l. nullus, C. ad l. Iul. maieſtat. & tradunt practic. Carrer. pagin. mihi 138. in fin & Petr. Foller. practic. crimin. folio 264. in princ. *Giach.*

c *Antequam tamen*
2 *Iudex.*] Adde, † Menoc. de arbitrar. caſu 340. ubi plenè qua pœna ueniat puniendus Iudex, qui ſine indicijs aliquem torturæ ſubiecerit.

3 Item † adde, ſi tortura fuerit indebitè, & iniuſtè illata, & in caſu non permiſſo, aut de facto, & negauerit, non impeditur proceſſus faciendus ſuper delicto, ſed vitiatur ſolum actus torturæ, Baldus in l. milites, & in l. 1. C. de quæſtion. Brun. in tractat. de ndic. quæſt 6. 2. partis poſt numer. 28. verſic. vltimò nota, & Carrer. in practic. crimin. in l. obſeruare, num. 199. ſed Marſil. in practic. criminal. in §. quoniam numer. 43. cum ſeq. uidetur tenere contrarium, dicens quod tortura indebitè data, omnia quæ ſequuntur redduntur nulla.

4 Item † adde, quòd ſi unus Iudex intulit torturam, deinde cauſa remittatur ad alium Iudicem, prior tortura debet computari, Marſil. in practica criminali, §. occurrit, numer. 4. & Carrer. in practic. criminali, l. obſeruare, num. 199. *Baiar.*

d *Ad torturam iniuſtè.*) Hic adde, & fuſius vide, qua pęna puniendus ſit Iudex, qui reum indebitè torſit per Iacob. Menoch. de arbitrar. Iudic. libr. 2 centur 4. caſu 350. vbi ponit quinque caſus, illoſque examinat, vide ibi. Item quibus caſibus non poſſit Iudex ad torturam procedere, vide per Campeg. de teſtibus, reg. 440. & quid ſit tortura, vide per Carer. in practic. crimin. num. 278. vbi etiam de pluribus torturę generib. ac modis. *Giach.*

e *Scias tamen quòd hęc opinio.*) Iudices ergo ob torturam indebitè latam capite non puniuntur de conſuetudine, vt hic; credo tamen uix in hoc ſtatu euenire poſſe, ut Iudex incurrat in hanc pœnam, cum ſemper antequam quis torqueatur, ſoleant fieri relationes in Senatu; infra hac eadem quæſtione, uerſic. nunc de gradibus ad finem, ex Baldo in rubric. C. de pœn. Iudic. qui male iudic. quem refert Alexand. conſil. 65. ſub numero 3 uolumin. 1. Cur autem hoc ſit, vt Iudices errare non poſſint in tali dominio, dixit Boſſius in titulo de confeſſ. ſub numero 39. Nam etiam ſine accuſ. uel inquiſit. proceditur, eo quia relatio in Senatu ſupplet omnem defectum accuſationis, & inquiſitionis, vt ibidem; & hoc quidem rationabiliter di-

QVÆST. LXIV.

1 CEterum vbi delictum non ſit plenè probatum contra reum, videndum eſt, an contra eum ſubſint indicia ſufficientia [b] ad torturam, quæ per ipſius rei defenſiones ſublata, aut eliſa fuerint. Et eo caſu debet Iudex decernere deueniendum eſſe ad torturam.

2 Antequam [c] tamen Iudex aliquem ponat ad torturam, debet animaduertere, ne id iniuſtè faciat; nam Iudex, qui ponit aliquem [d] ad torturam iniuſtè, ipſe eſt capite puniendus. Et hæc eſt communis opinio, vt dicit Marſil. in leg. quęſtionis modum, numero 72. ff. de quæſtion. & in l. 1. §. præterea, numer. 7. in fin. ff. ad l. Cornel. de ficar. & in practic. crimin. §. expedita, num. 87. in fin. quem refert Sapia in l. 1. in princip. num. 7. ff. quòd quiſque iuris, & Apoſtill. Crot. de teſtibus poſt numerum 69. in verbo, Modica, & Apoſtill. ad Rimin. conſil. 6. ſub num. 18. & Boſſ. in tit. de tortura, num. 31. & Pet. Calef. inter conſ. criminalia diuerſorum, conſilio 93. in fin. libro 2. & cõſilio 94. numero eodem volum. & Practic. Conradi, fol. 314. verſic. debet etiam. Et contra Iudicem, qui indebitè quendam torſerat, conſuluit Barbat. conſil. 47. libr. 1. Sias [e] tamen, quod hæc opin. non ſeruatur in practica,